





Disputatio X.
DE MINISTE-
RIO VERBI ET SA-
CRAMENTORVM.

EX ARTICULO CONFSSIONIS
Augustanae quinto.

Cuius subiectas Theses,

A DIVVANTE DEI GRATIA,
PRAESIDE EGIDIO HVNNIO, S. Thologiae
Doctore & Professore, OLIGERVVS ROSEN-
CRANTZ Nobilis Danus, in Collegio Disputa-
tionum Theologicarum privato, 22, die
Septembris in Templo Arcis
defendet,



VVITTEBERGAE

Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci, Anno cl, l, xciiii.



DE MINISTERIO VERBI ET SACRAMEN- torum Disputatio.

Propositio prima.

Dictum est de Iustificatione, eiusq; causis, & inter
has de Fide. Nunc quibus medijs conferatur fides,
Augustana Confessio quinto articulo nobis expla-
nat.

2. Notandum primò, quod Paulus ait, fidem non esse omni-
m. 2. Thessal. 3.

3. Neq; enim illam secum trahit depravata hominis natu-
ra, ut cuius omne frumentum tantummodò malum est, & ar-
bor mala cum sit, non potest ferre fructus bonos, aut fidem et-
ga Deum ex se progignere.

4. Itaq; nullæ nobis reliquæ manserunt vires, quibus ipsi in
nobis fidem accendere valeamus. Siquidem ex nobis, tanquam
ex nobis non possumus quid boni cogitare. 2. Cor. 3. quippe in
peccatis ad spirituale bonum (quale fides est) emortui. Ephe. 2.

5. Itaq; ab altiori principia fides nobis è supernis & quasi cæ-
litis infundatur oportet.

6. Solus enim Deus est, qui dat velle & perficere, Phil. 2. s.
cui scriptum est: donatam vobis est pro Christo, non solum, ut
in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini, Phil. 1.

7. Hinc fides Opus Dei nominatur Iohan. 6. ubi quarenti-
bus Iudæis, quid faciemus, ut operemur Opera Dei? Respondet
Dominus: Hoc est Opus Dei, ut credatis in illum quem ille misit.

8. Hinc inter χάρισματᾶ seu dona Spiritus sancti refertur,
1. Corinth. 12.

9. Excitat autem in nobis Deus fidem, non immediatè, (ni-
si in parvulis per necessitatis casum ab ordinario medio fidei &
regenerationis exclusis) sed mediatè.

Fides unde

10. Etenim ut hanc fidem consequamur, ait Confessio, institutum est Ministerium docendi Evangelij & porrigendi Sacramenta. Nam per Verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit.

11. Porro cum hic mentio fiat Verbi, per quod donetur Spiritus sanctus, cuius operatione fides in hominum cordibus efficiatur. Uerū dicitur, id de Evangelio, non de lege accipiatur.

12. Lex enim precipit sanè fidem, precepto Decalogi primo, sed non largitur eam, nec est instrumentum, quo Spiritus sanctus fidem accendit, sed potius, quo contritionem ciet, peccata & inter hac ipsam quoque incredulitatem, primo precepto interdictam, arguit & condemnat. Iram enim operatur lex, Rom. 4. & per illam est agnitio peccati. Rom. 3. & 7.

13. Hinc Gal. 3. scribit Paulus: Hoc solum cupio discere à vobis: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex predicatione fidei?

14. Itaque per predicationem fidei (qua Evangelij est periphrasis) confertur Spiritus sanctus, qui ad ciendam in nobis fidem, & mediante hac consequenter ipsam salutem operatur.

15. Atque idcirco etiam utrumque de Evangelij verbo pronunciat Scriptura: cum quòd ex illius predicatione fidei existat, tum quòd ipsa quoque conferatur animarum salus & aeterna beatitas.

16. Huc referenda sunt sacrarum literarum testimonia, quae predicato & audito verbo imò etiam scripto, lecto & meditato hanc efficacem operationem attribuunt

17. Sic de Iohanne Baptista memorat Evangelista Iohannes, venisse illum ad testificandum, ut testaretur de luce, ut omnes crederent PER ipsum. Iohan. 1.

18. Et Ioh. 17. Salvator ita precatur: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui PER Sermonem eorum credituri sunt in me.

19. Rom. 1. scribit Apostolus: Non pudet me Evangelij Christi. Potentia siquidem est Dei ad salutem omni credenti.

Lex non largit fidem

20. Et rursus Rom 10. Fides ex auditu est, auditus autem per Verbum Dei.

21. Visum enim est Deo per stultitiam predicationis, salvos facere credentes, 1. Cor. 1.

22. Sic in Actis legitur passim quod per sermonem Apostolorum conversi sint homines & ad fidem Iesu Christi illuminati Veluti de Iudaeis & Profelytis Act. 2. de Eunuchis, Act. 8. de Cornelio eiusq; domesticis, Act. 10. de Lydia, Act. 16. & alijs.

23. Est enim Evangelium non litera mortua, sed sermo vite aeternae, Iohan. 6. est semen incorruptibile, quod fructificat in his, qui illud audiunt & conservant in corde bono Luca 8. ex quo semine renascimur ad vitam aeternam. 1. Pet. 1.

24. Est tale verbum, quod potest hominem eruditum reddere ad salutem per fidem, qua est in Christo Iesu, 2. Tim. 3. & quod salvos reddere potest animas nostras, Iacobi 1.

25. Per quod Evangelij verbum D. Paulus Corinthios suos in Christo Iesu genuisse scribitur, 1. Corinth. 4. Ideoq; & Timotheo suo scribit, te ipsum servabis & eos qui te audierint, 1. Tim. 4.

26. Damnandus igitur est error Socinckfeldianorum, qui Deum nec fidem nec salutem per auditum & praedicatum verbum operari, sed immediata sua virtute nos regenerare & salvare autumant.

27. Quamvis enim non negamus esse Christianos à Deo doctos, Iohan. 6. tamen id aliter accipiendum non est, quam quod Deus illos mediate doceat per verbum suum.

28. Ita namq; Divus Paulus explicat, qui Thessalonicenses 1. Thess. 4. divinitus esse doctos asserens, id hanc in modum in precedentibus exponit: Evangelium nostrum, inquit, fuit erga vos, non per sermonem solum, verum etiam per virtutem & Spiritum sanctum, 1. Thess. 1.

29. Et rursus: Gratias agimus Deo, quod cum acceperitis sermonem à nobis, quo Deum disceratis, accepistis non sermonem

*Et cum esse à Deo
quomodo accipien-
dum*

nem hominum, sed, sic ut erat verè, sermonem DEI, qui &
εγγεῖται agit in vobis.

30. Ergò Thessalonicenses ideò sunt θεοδιδάκτοι, quia ex
predicato sermone Deum didicerunt, planè ut Christiani, ad
quos Iohannes scribit, dicuntur doceri ab unctiōe seu Spiritu
sancto, quos tamen publicè constabat Apostolorum ministerio
ad fidem esse conversos.

31. Ut enim Minister omni sua predicatione citra Dei in-
crementum non potest tantillum ad salutem hominum afferre,
dicente Apostolo: neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat,
sed qui dat incrementum, Deus, 1. Cor. 3.

32. Sic vicissim Deus sine Ministerio Verbi & Sacramento-
rum non vult operari salutem, si ordinariam eius actionem
spectes, sed per ministrorum laborem vult esse efficax.

33. Ita nil quicquam adscribitur hominibus, quod Deo
competit, nec tamen Ministerium sua spoliatur efficacia, nec
labor Ministrorum est irritus in Domino.

34. Iuxta illud: Quis est Paulus? quis autem Apollo? nisi
ministri, PER QVOS credidistis, 2. Corinth. 3.

35. Ideoq; se suosq; in Apostolico munere Collegas, Dei & ωἰς
ἑαυτῶν sive cooperarios appellat. 1. Cor. 3.

36. Quod de Verbo dictum modo est, idem ad Sacramenta
Baptismum & Cœnam Domini, fuerit accommodandum.

37. Esse Deum per Baptismum ad hominum regenerationem
& salutem efficacem, testis est Christus Iohan 3. Amen, Amen
dico vobis, nisi quis natus fuerit ex AQUA & Spiritu, non po-
test ingredi regnum cœlorum.

38. Non minùs sunt illustra Pauli Apostoli testimonia,
quòd simus in mortem Christi baptizati, Rom. 6. quòd per
Baptismum induerimus Christum Iesum, Gal. 3. quòd Christus
Ecclesiam suam sanctificet mundatam lavacro aquæ per ver-
bum Ephe. 5. quòd Deus secundum suam misericordiam nos
salvos fecerit per lavaciũ regenerationis & renovationis Spi-

eius sancti. Tit. 3. & quod Paulo conscientiens Petrus ait, &
quam Baptismi nos salvos facere. 1. Epist. 3.

39. Cæna Domini quoque, medium est confirmanda & con-
servanda fidei, ut & obsignanda gratia ac salutis.

40. Id addita verbis Cæna promissio declarat: Quod pro
vobis traditur: qui pro vobis effunditur in remissionem pecca-
rum: Sed hæc fusiùs declarabuntur in disputationibus de Sacra-
mentis.

41. Porro hoc Munus docendi in publico Ecclesie cœtu & ad-
ministrandi Sacramenta, nemo tractet nisi vocatus.

42. Vocatio ea duplex est. Immediata una, mediata al-
tera.

43. Immediata, qualis fuit Prophetarum & Apostolorum,
& fit vel voce Dei sine ullo ministerio aut interventu homi-
ninum, vel per homines sanctos, sed tamen præeunte aperta de-
signatione ipsius Dei.

44. Qualiter Eliseus designatur Dei voce Propheta, voca-
tur autem deinde per ministerium Elie, 1. Reg. 19.

45. Mediata est cæterorum Ecclesie Doctorum, Pastorum
& ministrorum.

46. Est verò & hæc vocatio mediata non humana, sed
planè divina. Quemadmodum hi, qui per Apostolos erant cons-
tituti Ecclesiarum Ministri pronunciantur à Spiritu sancto po-
siti Episcopi ad regendam Ecclesiam Dei quam redemit san-
guine suo, Acto. 20.

47. Quo modo Paulus Tito præcipit, ut oppidatim in Insu-
la Creta constituat Episcopos, Tit. 1.

48. Cæterum Lutheri vocatio ad commune Ministerium
docendi mediata fuit, ad singulare autem hoc opus revelatio-
nis Antichristi plusquam mediata, quam dicere possis heroi-
cam, & ex mediata & immediata quasi mixtam.

49. Efficaciam Ministerij quod attinet, dependet illa non
à pietate vel impietate Ministri, sed ab ordinatione Dei qui
per

Eff. minist.

per organa sua, Verbum & Sacramenta, vult esse efficax, quo modo cunq̄, tandem ratione vita & morum comparata sit persona Ministri.

50. Certè si à Ministrorum qualitate penderet vel substantia vel virtus Verbi & Sacramentorum, quis certus esse posset, num verum audiret Verbum, verum percepisset Baptismum, & legitimum acciperet Eucharistia Sacramentum? siquidem ut cunq̄, forinsecus sese gerat Minister, potest tamen esse in corde suo hypocrita. Quare ratione non dubitandum duntaxat foret, de medijs salutis, sed de ipsa deniq̄, salute desperandum penitus.

51. Ad hunc ergò scopulum desperationis & exitij declinandum firmissimè statuendum est, Verbum Dei manere Verbum Dei, & esse insita à Deo virtute inextinguib. ad salutem, à quo cunq̄, tandem homine predicetur. Sacramentorum par est ratio.

52. Sic piis in veteri Testamento opus non erat, quando de veritate legitima & efficacis circumcisionis volebant esse certi, ut demùm investigarent, quomodo persona, à quibus circumcisi, fuissent comparata, piene, vel non.

53. Sic Christus ipse dicens Matth. 23. Super Cathedram Moysi sedent Scribae & Pharisei, quicquid dixerim vobis, facite: perspicuè declarat, ipsorum Ministerium, quatenus in cathedra Moysi sedeant, & Moysi doctrinam sonent ac prelegant, non esse inefficax, aliàs non precepisset illos audiri, Matth. 23.

54. Sic Judas idem predicavit Evangelium regni, quod Apostoli ceteri, nec caruit predicatio eius sua ad conversionem hominum efficacia, Matth. 10.

55. Sic deniq̄, Paulus ipse scribens 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & subigo carnem meam, ne dum alijs predicavero, ipse reprobus efficiar: disertè perhibet, posse aliquem Concionatorem alijs predicare Evangelium ad salutem, ut tamen ipse sua propria fide destitutus evadat reprobus.

56. Nec valet argumentum fanaticorum: Quod quis non habet

habet, non potest conferre alijs: Impij concionatores non habent Spiritum S. Ergò non possunt illum alijs conferre.

57. Quamvis enim ipsi ratione sua persona non habent Spiritus S. gratiam, tamen officio, quod tractant & dispensant, Deus vi ordinationis sue gratiam divini Spiritus adiunxit, ne predicatio veri verbi Dei & dispensatio verorum Sacramentorum suo effectu spoliatur.

58. Quamquam etiam homo non renatus & merè tuumde non percipit ea, que sunt Spiritus, 1 Cor. 2. unde videtur consequi, quod quis ipse non intelligit, id illum docere alios non posse: tamen hic inter notitiam literæ & Spiritus accurato studio distinguendum est.

59. Destituuntur sanè Ministri Ecclesie impij & non regenerati notitia ea, que Spiritus dicitur, siquidem cognitio, quam habent de doctrina, Evangelij, non est in ipsis ratione propria illorum persone viva & salutaris.

60. Interim quia literalem habent capitum Christianismi cognitionem, docere utiq. possunt alijs: quorum institutioni si verbo patefacto sit consentanea, Spiritus sanctus, tanquam organo à se divinitus instituto, suam in audientium animis efficaciam adiungit.

F I N I S.



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK







13

Disputatio X.
DE MINISTE-
RIO VERBI ET SA-
CRAMENTORVM.

EX ARTICULO CONFESSIONIS
Augustanae quinto.

Cuius subiectas Theses,

ADIVVANTE DEI GRATIA,
PRAESIDE EGIDIO HVNNIO, S. Thologiae
Doctore & Professore, OLIGERVVS ROSEN-
CRANTZ Nobilis Danus, in Collegio Disputa-
tionum Theologicarum privato, 22, die
Septembris in Templo Arcis
defendet,



WITTEBERGAE

Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci, Anno cl, l, xciiii.

